

www.e-rara.ch

**Institutio Christiana, sive Catechismus puerorum Reipublicae
Basiliensis**

Ökolampadius, Johannes

Basileae, [1544?]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1771>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



(Joh. Decolempadius)

INSTITV
TIO CHRISTIA-
na, siue Catechismus puerorum
Reipublicæ Basi-
liensis.

*Vnà cum preculis aliquot
pijs, in eorundē quoq;
usum adiectis.*

B A S I L E A E.

*Sum Hartmani Plantæ
Rheh.*

18 Jchroe



FN x 31.

OSVALDVS MYCONI
us Lectori S.



ATECHISMVM

D. Oecolampadij fecimus latinum, quibusdam adiectis interpretationibus, non nisi ut pueri latinæ linguæ studentes, in ludis & publico examine non cogantur esse, ut hactenus, præter studiorum suorum rationem, barbari. Arbitramur id eis profuturum, cum ad excolendam linguam, tum ad studium Theologicum, id est Christianum, lubentius amplectendum. Nescio enim quo stimulo nostra tempestate sit utendum, ut iuuentus ad literas Dei impellatur efficacius. nam dum uident Philosophiæ, Medicinæ, Iuribus esse suum honorem, & eis operam nauantibus adfluere diuitias: contemni uerò studium Theologicum, & tantum non conspui, mirum quàm hoc horreant, illa sectentur. Vident idem parentes, & liberos sponte sequuntur. Putamus igitur hoc, quem institumus, modo, nonnihil nos effecturos in animis puerorū melioribus. Dominus addat, quod reliquum est, obsecramus. Vale, & Christi euangelium, ut salutem animarum amplectere. Basileæ. 9. Octobris,

Anno 1544.

A 2 D.

D. IOANNIS OE
COLAMPADII CATE
chismus.

INTERROGATIO.
RESPONSIO.



INTER. Agis'ne tu
Christianum? RES.
Ago, Domino sit laus.
INT. Quando coepisti
quod profiteris? R. Mox, ubi in
lucē editus, sacro fonte lotus sum.
IN. Facit'ne lotio Christianum? R.
Veluti ianua est ad Christianismū.
IN. Quid sit igitur, ut hic Christia-
nismus incipiat? R. In hoc lauacro
regeneratus sum, & regenerati sunt
Christiani. IN. Tantum ualet a-
qua? R. Nō aqua simpliciter, sed
aqua baptismi. IN. Quid ita? R.
Habet Verbum, et Spiritum s. agen-
tem, Verbo mediante, per aquam.
IN. Quid agit? R. Efficit homi-
nem nouū. purgat enim à peccato
origi-

*Deutsche Ausgabe
1543 und dem
Herausgeber*

5 } Fehlt im Kurzen Katechismus, 1557 neu.

CATECHISMVS.

originali, malorum omnium fonte
& scaturigine. I N. Si uerum con-
fiteris, cur adulti facti recidunt in
peccatum? Videtur fons ille non fa-

tis exhaustus? R. Reatus abster-
gitur, non uitium: unde nisi per fi-
dem Christi fortiter resistamus, illi-
us instinctu relabimur, & in impo-

nitentia perdurantes condemna-

mur. I N. Cur sic permittit Deus?

R. Ut per totam uitam pugnemus
cum peccato, & diabolo peccati au-
thore, Dominū interea iugiter im-
plorantes, & eidem perseveranter

adhærentes. I N. Manebis Chri-

stianus? R. Manebo, per Dei gra-

tiam. I N. Quid uerò, si Christum

profitentes ageretur in exilium, ca-

perentur, occiderentur, perderen-

tur igni: perdurabis tu? R. Maxi-

mè, Domino præbente gratiam &

auxilium. I N. Si quis autem dix-
rit, agere te stolidè, cur te sic uilifa-

cias? aliorum potius sequenda ue-

stigia: quid esses responsurus? R.

A 3 Dice-

CATECHISMVS.

Dicerem : non ago stolidè . Nam credo , quod fidem Christi me negante , tum indignationem Dei, tum poenas infernas me incursum. Vbi autem in fide perseuera- uero, & palàm, dum sic opus, fue- ro confessus, uitam sim consequu- turus æternam, ut quam Deus cre- denti pollicitus est. IN. Quis tibi Christianus est, & quis non? R. Qui ex corde credit, quod filius Dei factus sit homo uerus, quodq; per passionem & mortem suam no- bis impetrarit remissionem pecca- torum, atq; adeò uitam æternam: is mihi Christianus est. qui uerò non credit, Christianus non est. IN. Ni- hil ne credendum amplius? R. Qui quod dixi, rectè credit, & reliquos articulos fidei cõfitebitur. IN. Dic symbolum fidei. R. Credo in De- um patrem omnipotentem, creato- rem cœli & terræ. & in Iesum Chri- stum, filium eius unicum, Domi- num nostrum. Qui conceptus est de
Spiri-

CATECHISMVS.

Spiritus sancto, natus ex Maria uirgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus. Descendit ad inferna: tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Inde uenturus est ad iudicandum uiuos & mortuos. Credo in spiritum sanctum: Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & uitam æternam. Amen. INTER.

Ad quid ualet ista tum cognitio, tum confessio? R. Ad salutem. IN. Qualiter hoc? R. Quia scriptum est, Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam. Quod dum uerum, credentes sunt iusti: igitur & salui. IN. Articulorum quos numerasti, quot sunt? R. Duodecim. IN. Quis primus? R. Dixi modo satis distincte omnes, haud queo melius. IN. Quid in genere

A 4 con-

CATECHISMVS.

confessio cōplectitur: R. Sacrosan-
ctam trinitatem in diuinis: Patrem,
& Filium, & Spiritum S: Deum u-
num, personas tres. Deinde quæ sit
quam uocamus Ecclesiam, sponsa
uera Christi: & quid' nam hæc ex
fide consequatur, hic, & post hanc
uitam. I N. Quid confiteris in ar-
ticulo primo? R. Credere me,
quod unus sit tantū Deus ab æter-
no, & usq; in æternū, qui creauerit
cælum & terram ex nihilo, & quic-
quid his continetur. Deinde confi-
teor, quod illi me credā ex toto cor-
de, permittamq; tuendum aduer-
sus mala huius mundi: quodq; dili-
gentiam sim adhibiturus, ut coram
ipso per uitam meam in terris am-
bulam. I N. Dum dicis, Credo in
Deum, cur mox adijcis, Patrem? R.
Sanctū est ac terribile nomen Dei:
à quo inuocando ne absterrear, &
Patris uocem mitissimā addo, quæ
me adliciat, ut accedam, & implo-
rē cum fiducia: & ut innuam pri-
mam

CATECHISMVS.

nam in diuinitate personam. IN.
 Quid confiteris in articulo secundo?
 R. Iesum Mariæ filium, unctum il-
 lum esse, atque adeo filium Dei, pa-
 tribus olim promissum, & tempo-
 ribus extremis exhibitum, ut serua-
 ret mundum. Eundem quoque se-
 cundam esse personam in diuinis,
 unum cum patre Deum, atque ideo
 Dominum nostrum. IN. Quid in
 tertio? R. Conceptum fateor, non
 ut homines solent, sed de semine spi-
 ritus sancti: unde constat, peccato
 non fuisse obnoxium. IN. Quid
 amplius? R. Eum ipsum, ut de spi-
 ritu sancto, in utero Mariæ uirginis
 conceptum: ita ex eadem, adsumpta
 carne, post menses pariendi comple-
 toso natum: ipsa manente uirgi-
 ne ante partum, in partu, et post par-
 tum. IN. In quarto? R. Christum
 esse passum, Pontio Pilato præside:
 adfixum cruci, et in ea uerè mortuū.
 Passum autem nō sua culpa, (ut qui
 peccatum non fecit, nec inuentus

CATECHISMVS.

est dolus in ore illius) sed nostra, & totius mundi. Demum & honorifice ab amicis sepultum. IN. Quid illud in articulo quinto? Descendit ad inferna, & resurrexit tertia die? R. Prius est, ac si diceretur: Patres liberauit, ad infernum damnatos propter peccatum originale: & sic liberauit, ut agnosceremus effectus miserationis Christi, quousque pertigisset: tum ut nos in Domino mortui, eò descendere non cogermur. Posterius cōfirmat, Iesum esse filium Dei: & ideo quicquid egerit pro peccatoribus in terris, efficacissimū esse. Nam ex hoc articulo solo, spes est nobis immortalitatis parta. IN. In sexto? R. Dominū non mansisse in terris (quod Iudaicus error de Messia conceperat) sed ascendisse in cœlum, ut nossent fideles, unde nam descendisset. Occupasse præterea regnum, non seculi huius, sed cœlestis & æternum, in quo gubernat conscientias hominum regenerantium

CATECHISMVS.

ratorum ad iudicium usque. IN. In septimo? R. Confiteor aduenturum esse, ut iudicet totum mundū: pios quidem ad possidendum cœlum, impios uerò ad ignem inextinguibilem. IN. Quid confiteris in octauo? R. Spiritum sanctum, tertiam in trinitate personam, unum Deum cum Patre & Filio: in nobis efficientē, quæ sunt fidei & caritatis, omnia. IN. Quid in nono? R. Congregationem esse hominum super terram, quam Ecclesiam dicimus uniuersalem, & sanctam, ab inhabitatore Domino: & sanctorum, id est, fidelium communionē. IN. Quid uocas communionem? R. Vnam fidem, eadem sacramenta, & eundem utrorumque usum. IN. Non easdem cerimonias? R. Non. IN. Et ubi est congregatio illa? R. Non habet locum certum, sed dispersa est per totū orbem: et congregatur in spiritu, per uerbū Euangelij. IN. Nihilne est unde ualeat cogno-

CATECHISMVS

cognosci? R. Notæ sunt externa, Verbū & Sacramenta: quę quidem ubi sunt qualiter Dominus instituit, ibi certò Ecclesia est. Verùm membra singillatim sciri non possunt certò. I N. Num se quisq; nosse potest, an membrū sit, nec ne? R. Potest, testatur enim Spiritus adoptionis unā cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei. I N. Dixisti de signis externis, sunt ne etiā interna? R. D. August. dicit: Vbi cunque timetur Deus, & laudatur, ibi est Ecclesia Christi. Quare signū internum arbitror esse, timorem Dei uerum. quò respicere uidetur & Petrus Actorum 10. dum dicit: Reipsa comperio, quòd non sit personarū respectus apud Deum, sed in quauis gente qui timet ipsum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi. I N. In decimo quid? R. Remissionē peccatorū, ex merito passionis Domini nostri IESV Christi, Et hoc est Euangeliū, quod Deus

CATECHISMVS.

Deus misit de filio suo in mundum.

I N. Quid in undecimo? R. Quod omnes defuncti resurrecturi sint in extremo die, simul corpore & anima, & deinceps in incorruptibilitate permansuri. I N. In ultimo quid?

R. Vitam, quæ non est habitura finem. Ibi quæ oculus nō uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, præparauit Deus diligentibus se. I N. Nunquid illa uita communis est omnibus?

R. Piorum tantū est, nam qui bona fecerunt, prodibunt in resurrectionem uitæ: qui uerò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. I N. Est ne fides horum articu-

lorum satis Christiano? R. Satis ad uitam eternam: quandoquidem ubi ea uerè est, ibi & charitas est, & timor Dei, & sequentur opera uerè bona, & obseruatio mandatorū Dei. Nam ubi eiusmodi nō sequuntur, fides est falsa, inanis ac mortua.

I N. Quid mādauit tibi Dominus?

R. Vt

CATECHISMVS.

R. Vt sibi fidam, & diligam super omnia: proximoq; faciam, quod & mihi fieri uolo: & non faciam, quæ pariter & ego renuo. I N. Non ne Deus & decalogum præcepit? R. Etiam, sed in dictis comprehensus est. I N. Placet recensere decalogum? R. Non habebis deos alienos corā me. Non adsumes nomen Domini Dei tui in uanū. Memen- to ut diem sabbathi sanctifices. Ho- nora patrem & matrem, ut sis lon- gæuus super terram. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum fa- cies. Non loqueris contra proximū tuum falsum testimonium. Nō con- cupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non ser- uum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. I N. Quomodo distinguun- tur hæc præcepta? R. In duas ta- bulas: quarum prior habet manda- ta tria, quæ mox pertinent ad De- um: posterior septem continet, per-
tinentia

CATECHISMVS.

inentia ad proximum. **IN.** Videtur ordo pulcherrimus in utraq; tabula inesse, nosti? **R.** Noui. nam in priore, dum mandatur de nō habendis dñs alienis, sed uno solo Domino Deo, requiritur cor, os deinde, ac opus ad cordis probationē. **IN.** Verè dicis. In altera? **R.** Dum præcipitur charitas erga proximū, à parentibus, quibus nihil post Deum debet præferri, fit initium. Mox prohibentur ledendi species, à crudelissima, descendendo per gradus ad infimam. In primis est læsio uitæ: dein uxoris: præterea bonorum: & tandem famæ. **IN.** Non ne adhuc supersunt duos? **R.** Maximè. **IN.** Ad quid? **R.** Vt sciamus, non solum opere nos in dictis mandatis peccare, sed etiam concupiscentia. **IN.** Nō seruantur ergo præcepta Decalogi, dum fiunt externè solū: ut dum quis nō furatur, non est adulter? **R.** Nō. Deus enim in primis cor postulat, **IN.** Quis est

CATECHISMVS.

est idololatra? R. Qui diligit, quic
quid id est, magis quam Deū. nam
omne qđ homo colit prae Deo, ido-
lum eius est. IN. Quis nomen Dei
accipit in uanum? R. Quisquis ali-
ter nominat, quam cum honore &
reuerentia. IN. Quis sabbatum re-
cte custodit? R. Qui die dominica
uerbum audit Dei: quicq; discedit a
peccatis, et in deo quiescit. IN. Quis
honorat patrē & matrem? R. Qui
parentibus benefacit, & exhibet o-
bedientiam Ecclesiae catholicae, &
potestatibus; nec non omnib. qui
parentes aliqua ratione referunt.
IN. Quis est occisor? R. Qui cor
uel extra homicidium habet ira-
cundum, & laborat inuidia. IN.
Quis est adulter coram Deo? R. E-
tiam qui corde libidinosus est. IN.
Quis fur coram Deo? R. Cui &
cor est auarum. IN. Quis peie-
rat, falsum ue dat testimonium?
R. Qui agit mendaciter in utro-
que. IN. Vis & tu seruare mandata
Dei?

1537: 3
etiam Christi
etiam per regem
1537: und auch
wiltzen gemat

CATECHISMVS.

R. Studebo quidem, ut ualeam. I N. Qualis uidetur, qui pro Christiano se uenditat, interim tamē furatur opere, & adulteratur: peierat, & occidit: R. Peior est Iudæo, seu ethnico: & Christianus nomine tenus, atque ideo falsus. I N. Si quis porro fidem habeat, ualeatq; uita bona, reuens interim baptismum, num is erit tibi Christianus? R. Minime: nam quisquis credit in Christū, non baptizatus, non quiescet, dum natus fuerit, ut in numero sit Christianorum. I N. Velles & tu rebaptizari, si quis fanaticus exposceret? R. Absit. per Dominum semel baptizatus sum, & inscriptus in albo Christianorum: non opus est igitur anabaptismo. I N. A baptismate aut nō ne peccasti? R. Id doleo: ac per pœnitentiam, & abstinentiā peccatorum, perq; bonā uitam, reconciliationem molior. nam ita nimirum Christiani reliqui me pro membro suo agnoscere nō dedignabuntur. I N. Putas ne

B

Deo

CATECHISMVS.

Deo satisfactum, quòd infans baptizatus es? R. Abundè credo satisfactum, nam Christus dicit, Talium est regnum cœlorũ. Insuper & pro me fudit sanguinẽ suum, & à nemine Christianorum abh̃cior: quid in hoc lauacro pòssit illi displicere? IN. Scis, quibus te in baptismo rebus adstrinxisti? R. Scio, nam seruituti me deuoui Christi, mundi ac diaboli fastum insolentiamq; reiiciens. IN. Qualiter efficies ut bonus puer reddaris? R. Principiò Deũ inuocabo: uerbum dein eius diligenter audiam: ociũ uitabo: socios fugiã malos: & curã de me diligentissimẽ tenebo. IN. Cur nam oras? R. Ut omnes homines uelint sanctificatũ nomen Dei, & eidẽ bene placere: & ut ego quoq; uoluntatẽ eius perficiã. IN. Qualiter oras? R. Sicut me docuit Dominus. IN. Quomodo? R. Pater noster, qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuũ. Veniat regnum tuũ, Fiat uoluntas tua, quemadmodum

1650: dei ab
Abundè credo
satisfactum
liberum

1650
1650
1650

CATECHISMVS,

dum in coelo, sic etiam in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationē, sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorū. Amen.

IN. Cur dicis, Pater noster, & non Domine, uel Deus noster? R. Arbitror Christū sic docuisse, ut accessus per preces ad altissimū foret intrepidus: sicut & in Symbolo responsum est. IN. Cur addis, Qui es in coelis?

R. Ad discernendum inter Patrem coelestem, & patrem terrenū. Ille æternus est, hic mortalis. Vnde quāto coelum est excelsius terra, tanto præstat coelestis terreno, & adhuc magis.

IN. Quare petis primò, Sanctificetur nomen tuum, postquam nomē Dei sanctissimū est? R. In nobis, & à nobis debet sanctificari: in seipso sanctum est adeò, ut nihil possit addi.

IN. Quomodo sanctificatur

CATECHISMVS.

à nobis: R. Dum ex uerbo cogni-
 tum adoratur, & operibus charitatis
 ex fide in uerbum glorificatur. IN.
 Quid per nomen Dei intelligis: R.
 Potentiam & maiestatem Dei, atq;
 adeò ipsummet Deū. IN. Cur nam
 hæc petitio prima ponitur: R. Ut
 sciamus, quò uita omnis nostra sit di-
 rigenda. Scopus est cogitationum,
 sermonum, & operum Christiano-
 rum omnium: hæc si fuerint in sco-
 pum illum directa, non facile aberra-
 bunt. IN. In petitione secunda, qua-
 re dicis, Veniat regnum tuum: R.
 Peto ut Christus rex coeli & terre pro
 rege nobis detur: & diabolus cum ig-
 nitis suis iaculis procul eijciatur, &
 conculcetur. IN. Quid petis in ter-
 tia: R. Quia uoluntas nostra sem-
 per est secundū affectus prauos: uo-
 luntas autem Patris semper est opti-
 ma, iustissimaq;: peto, ut hæc fiat in
 terris: illa non fiat, nisi in diuinā com-
 mutata. IN. Similitudo quid sibi
 uult: R. Nihil aliud, quam ut nostre
 uolun-

CATECHISMVS.

uoluntates in studio perficiendi quæ
Deo placent, fiant angelorū uolun-
tatibus pares. I N. Dictæ petitiones
tres quò nam propriè spectant? R.

Ad spiritualia, publica & priuata,
quæ pertinent ad gloriam Dei, & no-
stram salutem. I N. Quò igitur se-
quentes quatuor? R. Ad res corpo-

rales. I N. Quid igitur rogas in quar-
ta? R. Quicquid ad uitā hanc susten-
tandā pertinere potest: qualia sunt,
cibus, potus, uestes, calcei, domus,
supellex, item magistratus bonus, u-
xor bona, liberi boni, cognati & ami-
ci boni, pax, & reipub. status per o-
mnia saluus: prudētia, honestas, sani-
tas, & quicquid simile. I N. Panis ne

significat illa omnia? R. Significat
Hebræis uictū, & sustentationē (ita
enim me docuerūt præceptores mei)
& inde reliqua omnia, quæ numera-
ui. I N. Cur adiungis, Quotidianū?

R. Quod rebus dictis indigemus
quotidie. I N. Sed Hodie cur addis?

R. Ad significandum, quod singulis

CATECHISMVS.

diebus sic petere debeamus. IN. Nō
ne de spiritali quoque pane (qui
Christus est, seu uerbum Euangelij)
potest intelligi petitio? R. Secundum
quosdam potest. Verū sic edoctus
sum, ut scirē bona etiam temporalia
dari nobis à Deo, postquā panis cœ-
lestis in petitione prima rogatus est.
IN. In quinta quid oras? R. Mag-
num quiddam, fructum nempe E-
uangelij, remissionem peccatorum.
IN. Quare non satisfacis potius pro
peccatis? R. Non possum, destitutus
uiribus. Venenum hausi pecca-
ti, quod corpus & animam sic debili-
tauit, ut uirtute in abolendo careant.
Idipsum agnoscēs, insuper & Patris
bonitati fidens, ueniā peto per Chri-
stum. IN. Adjicis, Sicut & nos re-
mittimus; quid ita? R. Quod con-
stat, mihi non remitti, nisi & ego re-
mittam. IN. In sexta quid? R. Mun-
dus tentationum plenus est, ab insi-
diatore diabolo. Nisi ergo Pater cœ-
lestis tueatur, tentatoris laqueos ca-
uere

CATECHISMVS.

uere non licebit. Igitur quæso, ut etiam si ad tentationes usq; nos adduci permittat, ne sinat tamen induci: hoc est, ab eis uinci. I N. Quid in septima? R. Diabolus malus est, & peccatum malum: sunt & mala corporis: ab illis planè liberari cupio, & peto à postremo iuxta uoluntatem Domini. I N. Quid uult quod adnectis, Quia tuum est regnum, &c. R. Equidem his confiteor, Patrè quem hactenus sum precatus, Dominum essererū, & regnare solum: solū esse potentē ad exequendum ea quæ pertinent ad regnum: solum quoq; gloriam utriusq; uēdicare, utpote cuius solius est omnis sapientia, omne robor, & omnis uictoria in sempiternum. I N. Cur addis Amen? R. Propterea quod scio per fidem, exauditū me. I N. Accipis igit̃ mox, quicquid à Patre petisti? R. Accipio nutu Dei, tametsi nōnunq; tempore differtur. Atqui non est meum, hic Domino præscribere, nec hominis cuiusuis.

CATECHIS MUS.

L Fidenti dat certò, circumstantias reliquas seruatas uult sibi. I N. Adorasetiam fideles defunctos: R. Nequaquam. Vnum adoro Deum, qui solus est, & me solus iuuare potest. I N. Contemnis ergo beatos: R. Non contemno, sed laudo, propter gratiam & dona, quibus à Deo sunt tam diuiter dotati. I N. Num orare uerbis tantum, orare tibi est: R. Non, sed est potius cōtemnere Deū. Orandum est corde, cumq; bona fiducia. I N. Verbum Dei qualiter audis: R. Tanquam Deus mecum loquatur. Et si quid audio, cuius culpā agnosco, mente recondens, in posterum caueo. Quod si quid agitur de uirtute, quæcunq; tandē sit, ut eam acquiram studeo. Si uerò Dei commendatur gratia, & eius beneficia laudibus tolluntur, gratias ago, & benedico. I N. Ocium ut fugitas: R. Parentum iussis obedio: & diligentiam mihī ipsi impero ad aliquid discendum, uel agendum, ut eis placeam: in

CATECHISMVS.

in publicum emissus, festino. IN.
 Quales adiungis tibi socios? R. Fu-
 gio, qui turpia loquuntur, qui male-
 dicunt, qui iurant, qui ludunt, qui
 mentiuntur, quiq; à templi abhor-
 rent ingressu: cōtrā uerò semper sunt
 in ocio, & uersantur in plateis. Illis
 autem me adplico, quibus literarum
 placent studia, qui uirtutem colunt,
 & timore Dei nō uacant. IN. Quo-
 modo te ipsum curas? R. Edo & bi-
 bo, quantum satis est: non quero ci-
 bos lautiores. excitatus de somno,
 protinus surgo: & loquor, rogatus.
 IN. Prohibuitne tibi Deus cibum
 aliquem, aut potum? R. Haudqua-
 quam: sed crapulam prohibuit, ace-
 brietatem. Donis eius uti ualeo cum
 gratiarum actione. quamobrem an-
 te & post cibum orare soleo. IN. Si-
 ta' ne est iustitia in cibo, ieiunio, uesti-
 tu, seu alijs rebus externis? Aut quo
 modo licebit eis uti? R. In corde iu-
 stitia uera sita est. Externis autem uti
 debeo ad necessitatē, & qualiter in-

B s ser,

CATECHISMVS.

seruire possum eis proximo, neminem autem lædere. IN. Quid sentis de Cœna Domini? R. Gratiarum est actio communis, & ingens glorificatio mortis & effusionis sanguinis Domini nostri Iesu Christi, cum testificatione fraternæ dilectionis, & concordia. IN. Cur nam uocatur Cœna Domini? R. Quod illic editur, & bibitur, ut Dominus in nouissima cum discipulis suis cœna sanctissimè instituit. IN. Quid editur, & quid bibitur? R. Hoc quod Cœnæ uerba continent; cum sacramento panis, corpus Christi: & cum sacramento uini, sanguis Christi. IN. Et quomodo istud? R. Modo non naturali, sed per animam fidelem.

IN. Negocium est igitur fidei? R. Planè fidei. IN. Quid edunt ac bibunt ergo, qui mensam adeunt sine fide? R. Nil nisi sacramenta, & condemnationem. IN. Quid ita? R.

Quia ubi fides non est, ibi nec salus est: & ubi non est salus, ibi salutis est

oppo-

CATECHISMVS.

oppositum, eodem natio. I N. Quan-
do sumes tu sacramenta? R. Quan-
do quidem ob ætatis ^{et} ~~teneritudinem~~ ^{et} ~~nihil~~ ^{et} ~~Christianæ~~ ^{et} ~~sagacitatis~~ ^{et} ~~de me~~
quisquam concipere ualet, cessare li-
bet. At ubi spes fuerit, pñs me cate-
ris fructum lic facturum aliquem, te-
stabor & ipse fidem meam. I N. In-
terea temporis qua ^{et} ~~ratione~~ ^{et} ~~uitam a-~~
~~cturus es?~~ R. Implorabo Dominum
mihî ut adsit, quo possim in uñs eius
ambulare, ad gloriam ipsius, &
bonum proximi.

F I N I S.

ante inget

*1537: amica
Christi domi
Eli beauri*

et pñs ipsius

CATECHISMVS.

ORATIO PVERIS MANE
dicenda.

Gratias tibi Pater cœlestis ago, quod præteritam noctem mihi uolueris esse prosperam: precorq; ut diem itidem hunc totum mihi bene fortunes, ad tui nominis gloriam, & animæ meæ salutem: & ut tu, qui es uera lux occasum nesciens, sol æternus omnia uiuificans, alens, exhilarans, digneris illucescere menti meæ, ne usquam impingam in ullum peccatum, sed ductu tuo perueniam ad uitam æternam. Amen.

ALIA, ANTE INGRES-
sum pædagogij.

Iesu Christe, Dei fili unigenite, Domine misericordiæ, te suppliciter oro, ut qui puer duodecim annos natus, sedens in templo docuisti doctores ipsos: cuiq; pater cœlitus emissâ uoce dedit auctoritatem docendi mortaliū genus, quum diceret: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacitum est, ipsum audite: quiq; es æterna sapientia summi patris: illustrare digneris ingenium meum, ad perdiscendas honestas literas, quibus utar ad nominis tui gloriā, & animæ meæ salutē.

IN

CATECHISMVS.
IN TEMPO.

GRatias ago tibi Iesu Christe pro ineffabili charitate, quod genus humanum morte tua redemisti. Te precor, ut aures & oculos mentis ac cordis mei digneris aperire, ut eloquia tua sancta, non solum uere & ex animo percipere queam, & intelligere, sed factis etiam debitis exprimere. Te suppliciter oro, ne patiaris tuum sanguinem pro me frustra fuisse, sed tuo corpore semper pascas animum meum, tuo sanguine uiuifices spiritum meum, ut paulatim adolescens ego uirtutum auctibus, efficiar idoneum membrum corporis tui mystici, quod est Ecclesiae: nec unquam deficiam ab illo sanctissimo tuo fœdere, quod in extrema cœna distributo pane, & porrecto poculo, pepigisti cum discipulis tuis electis, & per hos cum omnibus qui per baptismum in societatem tuam sunt insiti. Amen.

CONSECRATIO MENSÆ,
ex Chrysostomo.

Benedictus Deus, qui me pascis à iuuentute mea, qui cibum præbes omni carni: reple lætitia & gaudio corda nostra, ut
affa-

affatim quod satis est habentes, abundemus
in omne opus bonum in Christo Iesu Domi-
no nostro: cum quo tibi gloria, honor, & im-
perium cum S. spiritu, in omne æuū. Amen.

A L I A.

Quicquid appositū est, & quicquid ap-
ponetur, felix & sacrum esse iubeat,
qui sua benignitate pascit uniuersa. Amen.

GRATIARVM ACTIO,
post sumptum cibum.

Gloria tibi Domine, gloria tibi sancte,
gloria tibi rex, quoniam dedisti nobis
escas: imple nos gaudio & lætitia in spiritu
S. ut inueniamur in cōspectu tuo acceptabi-
les: nec pudeamus, quādo reddes unicuiq;
secundū opera sua. Amē. Pater noster, &c.

A L I A.

Gratias agimus tibi pater cœlestis, qui
tua ineffabili potētia cōdidisti omnia,
tua inscrutabili sapientia gubernas uniuersa,
tua inexhausta bonitate cuncta pascis ac ue-
getas: largire filiis tuis, ut aliquando tecū bi-
bāt in regno tuo nect̃ar illud immortalitatis,
quod promissisti ac præparasti uerē diligētib-
te, per Iesum Christū: Amen. Pater noster.

PRO

PRO DOCILITATE.

A Vdi preces meas æterna patris sapientia Domine Iesu, qui tenere ætati docilitatis commodum addidisti: adde quæso ad naturæ propensionē auxiliū gratiæ tuæ, ut literas ac liberales disciplinas citius perdiscā, sed tuæ gloriæ seruituras, quarū adminiculis adiuta mēs mea plenius assequatur cognitionem tui, quem nosse felicitatis humanæ summa est: utq; ad tuæ sanctissimæ pueritiæ exemplum indies proficiam ætate, sapientia, & gratia apud Deū & apud homines. Qui uiuis & regnas in consortio patris ac spiritus sancti in æterna secula. Amen.

PRO PARENTIBVS.

Domine Deus, qui nos secundū te plurimum honoris parentibus nostris habere uoluisti, nec inter officia pietatis minimum est pro parentum incolumitate tuam bonitatem interpellare: serua quæsumus parentes meos, cum omni familia, primum in tuæ religionis amore, deinde tutos à corporis & animi perturbationibus. mihi uerò præsta, ne quid illis ex me molestiarum accedat: deniq; ut ego illos, illi te propitium habeant, qui supremus es omnium pater. Amen.

ALIA,

CATECHISMVS,
ALIA, SVB NOCTEM.

Domine Iesu Christe, cuius inexhaustæ benignitati debemus omnia, qui diei clarissimam lucem bonis iuxta ac malis ad obeunda actionum munia tribuisti, noctis amicum silentium ad quietè reficiendas corpusculorum vires, & ad diluendas animorum curas, leniendosq; mœrores clementer dedisti: quum te diligentibus hæc omnia tuipse multo scelicius præstes intus, quibus ad omnes pietatis functiones fidei gratiam multo clarius præluces quàm sol mundo refulget, quos tua promissa nõ sinunt unquam lassescere: tui spiritus consolatio omnes animi molestias longè efficacius diluit, quàm corporis sopor: nec in alio totus homo tutius aut suauius conquiescit, quàm in tua misericordia: Redemptor optime, precor, ut si quid hoc die per humanam incuriam cõmisi, quod offenderit oculos tuos, pro tua solita bonitate condones, simulq; des, ut hæc nox te prosperante sit mihi scelix, te custode pura, te protectore à nocturnis dæmonum ludibrijs tuta: ut hic somnus corpus simul & mentem in crastinum diem reddat ad tibi seruiendum ala-

alacriorem Porro quoniam hæc uita nec ullam
horam habet certam, ubi uenerit illius uespera,
et urgebit corporis somnus, unde non expec-
tissemur, nisi cum ad angeli tui tubam excita-
buntur mortui, queso ut tum illumines oculos
anime mee, ne extincta fide obdormiam in mor-
te sempiterna, sed requiescam in te, cui uiuunt
etiam mortui. Qui uiuis et regnas cum Deo Pa-
tre, et sancto spiritu in sempiternum. Amen.

PRO CVSTODIA PV-

dicitiæ.

Diuine spiritus, qui abhorres ab omni
spurcitia, quiq; gaudes, ac pro delicijs
habes, in castis purisq; mentibus uersari: te sup-
plex deprecor, ut huc insignem thesaurum quem
porto in fideli uasculo, sicut tuæ debeo beni-
gnitati, ita tuo beneficio seruem incolumem: utq;
indies magis ac magis puro corde, puroq; cor-
pore tibi placens, perueniam ad illam uitam,
quæ nullam nouit corruptionem, in qua uiuis
cum patre et filio. Amen.

PRO TVENDA BONA FAMA.

Docuit nos o Pater celestis, sapiens ille
tuorum conscius arcanorum, thesaurum
cum primis esse preciosum honestam famam,
quum ait: Melius est habere nomen bonum, quam
inguenta preciosa. Sed hoc tam insigne bonum

C neo

nec parare, nec seruire possumus, nisi tuo præsidio. Fons autem boni nominis est uita inculpta. Hâc igitur in primis abs te petimus. Verum, quoniam frequenter innocentia tuta non est ab ijs qui uenenum aspidum gestant sub labijs suis: nec raro fit ut quum inter fidos amicos nos esse credamus, cum Ezechiele habitemus inter scorpiones: cum sancto citharædo tuo clamamus, Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Quod si tuæ bonitati uisum est, tuos hac quoq; afflictione exercere ad pietatē, da quesumus, ut cum Paulo fortissimo duce tuo, per ignominiam & gloriam, per infamiam & bonam famam, in tuis præceptis perseueremus, per Iesum Christum, qui & ipse dum in terris ageret, audiuit, dæmoniacus, Samaritanus, uini potator, & populi seductor: idem nunc tecum regnat in gloria, cum spiritu sancto: Amen.

GRATIARVM ACTIONIS
quotidianæ forma, ad
Deum patrem.

AGO tibi gratias omnipotens. eterne
& uiue Deus, eterne pater Domini nostri
Iesu Christi, conditor omnium rerum, & conseruator ac opitulator, cum filio tuo coeterno
Domino nostro Iesu Christo, patefacto in Hierusalem, & spiritu sancto tuo effuso in Apostolos:
quod

quod te patefecisti nobis immensa bonitate cer-
tis & illustribus testimonijs, & quod condidi-
sti & elegisti tibi ecclesiam perpetuam, & vo-
luisti filium tuum Dominum nostrum Iesum Chri-
stum pro nobis fieri uictimam: dedisti nobis E-
uangelium tuum, & spiritum sanctum: remittis
nobis peccata, & liberas nos à potestate dia-
boli, & à morte æterna: & das nobis uitam æter-
nam: & hætenus in hac uita multis magnis be-
neficijs donasti: dedisti uitam, uictum, doctrinam,
pacem ijs locis in quibus uixi, & mitigasti pœ-
nas quas meritus sum.

ORATIO AD FILIUM.

AGO tibi gratias etiã Domine Iesu Chri-
ste, fili Dei uiui, crucifixe pro nobis, &
resuscitate Emanuel, quod copulasti tibi huma-
nam naturam, passus es pro nobis, & resurre-
xisti, ac redemisti nos, seruas ac defendis eccle-
siam contra diabolos hostes tuos, & das & in-
stauras sepe lucem Euangelij, remittis nobis pec-
cata, & das nobis uitam æternam, & es media-
tor & interpellator pro nobis assiduus, & uis
nobis opitulari: sicut dixisti, Venite ad me om-
nes qui laboratis, & onerati estis, ego refici-
am uos.

ORATIO AD SPIRI- tum sanctum.

AGO etiam tibi gratias spiritus sancte,
C 2 uiuifica

uiuificator: effuse in Apostolos, quod accendis:
lucem tuam in nostris mentibus, regis, doces, mo-
nes, & iuuas me cōsilio, gubernas labores uoca-
tionis meæ, & sanctificas me ad uitā æternam.

DE VERA DOCTRINA

Oratio ad patrem.

OMnipotens, æterne & uiue Deus, æter-
ne pater Domini nostri Iesu Christi,
qui te patefecisti immensa bonitate, & clamasti
de filio tuo Domino nostro Iesu Christo, Hunc
audite: conditor omnium rerum, & conserua-
tor et opitulator, cum filio tuo coæterno Domi-
no nostro Iesu Christo, regnante tecum, & pa-
tesfacto in Hierusalem, spiritu sancto tuo effuso
in Apostolos: sapiens, bone, misericors iudex,
& fortis: qui dixisti, Viuo ego, nolo mortē pec-
catoris, sed ut conuertatur, & uiuat: & dixisti,
Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te:
miserere mei, propter Iesum Christum filium
tuum Dominum nostrum, quem uoluisti pro no-
bis esse uictimā, nāi uoīrlu, nāi inērlu, & san-
ctifica, rege, iuuua, accēde cor & animam meam
spiritu sancto tuo, ut te uerē agnoscam & inuo-
cem, tibi uerē credā, gratias agam, & obediām.
rege & serua ecclesiam tuam, sicut promissisti,
inquiens: Hoc est foedus meum cum eis, spiritus
meus, qui est in te, & uerba mea quæ posui in
ore

ore tuo, non recedent ab ore seminis tui in æter-
num. Semper luceat in nobis Euāgelium tuum:
Et rege Et confirma corda nostra spiritu sancto
tuo, ne in furores Epicureos aut fanaticos ruā:
guberna studia ecclesiæ, Et defende politias,
quæ præbent hospitia ecclesijs.

AD CHRISTVM.

IESV Christe fili Dei uiui, crucifixe pro no-
bis, et resuscitate, uerbū Et imago æterni pa-
tris, qui regnas ad dextrā patris, ut des dona ho-
minibus, Et cōstitutus es interpellator pro no-
bis, miserere mei, et intercede pro me apud æter-
num patrē tuum, Et sanctifica me spiritu sancto
tuo, sicut promisti inquitens, Non relinquam
uos orphanos, Et c. Item, Venite ad me omnes
qui laboratis, Et onerati estis, ego reficiam uos:
miserere mei, Et intercede pro me apud æternū
patrem tuum: sanctifica Et rege me spiritu san-
cto tuo, defende me aduersus diabolos, spiritus
mendaces, Et homicidas hostes tuos.

AD SPIRITVM SANCTVM.

Spiritus sancte effuse in Apostolos quem
promisit nobis filius Dei, redēptor noster,
ut accendat in nobis ueram agnitionem Et inuo-
cationem Dei: sicut scriptum est, Effundam su-
per uos spiritum gratiæ Et precum: exsuscita
in cordibus nostris uerum timorem Dei, Et ue-
ram fidem Et agnitionem misericordiæ, quam

eam fidem & agnitionem misericordiae quam
nobis aeternus Pater Domini nostri Iesu Chri-
sti propter filium promisit: sis nobis paracletus
in omnibus consilijs & periculis: & accende
mentes nostras, ut uera obedientia, Patrem Do-
mini nostri Iesu Christi, & filium eius redem-
ptorem nostrum, & te perpetuò celebremus.

ORATIONIS DOMINICAE
explicatio, per Philippum Me-
lanchthonem.

PATER noster qui es in caelis. Omnipoten-
s aeternae & uiuae Deus, qui ades ubiq;
ubiq; respicis & exaudis: Pater Domini nostri
Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonita-
te, & clamasti de filio tuo Domino nostro Iesu
Christo, Hunc audite: cōditor omnium rerum, &
cōseruator, & opitulator: cum filio tuo coaeter-
no Domino nostro Iesu Christo, regnante tecū,
& patefacto in Ierusalem: et spiritu sancto tuo,
effuso in Apostolos: sapiens, bone, misericors
iudex, & fortis Pater noster qui es in caelis:

SANCTIFICETVR nomen tuum.
Effice ut uerè agnoscaris, ut per Euangelium ue-
ra doceantur, per quae gloria tua uerè patefiat,
ut te rectè inuocent & colant homines.

ADVENIAT regnum tuum. Sparsa Euan-
gelij uoce, regas etiā nos spiritu S. tuo: effice ut
uerba

uerbo tuo credamus: inchoa in nobis regnum
tuum, ut fiamus heredes regni tui: & destruas
regnum diaboli, horribiliter grassantis in gene-
re humano, & persim homines impellentis ad
Epicuraeum Dei contemptum, aut colenda ido-
la, scelerata homicidia, libidines, mendacia, &
alios furores. Aduersus haec mala defende nos
eterne pater Domini nostri Iesu Christi, & re-
ge nos spiritu sancto tuo: sicut dixisti, Effun-
dam de spiritu meo, &c.

FIAT uoluntas tua. Da ut omnes tibi obediant
in terra: da ut pastores ecclesiae, reges, magistra-
tus, doctores, discipuli, ciues suo loco singuli of-
ficium suum recte & foeliciter faciant, ac om-
nes tibi obediant, sicut angeli in coelo tibi obe-
diunt, & placent tibi. Tuum opus est efficere,
ut nos miseri, stulti, infirmi, res geramus bonas
& salutares: simus organa non ire, sed miseri-
cordiae: simus utiles ecclesiae, non simus pestes,
uxi ἀνάτορες. Politia Ezechiae foelix est, te iu-
uante: politia Sedechia*e* infelix est, quia te adiu-
tore repellit. Nos non repellimus te, sed uero pe-
ctore, ueris lachrymis oramus, ut nostras eccle-
sias, doctores, scholas, principes, gubernatores,
populu*m* regas, ut aliqua fiant tibi grata. sicut in-
quit Paulus: Deus qui efficit ut uelitis, efficiet
etiam ut perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant.

PANEM nostrum quotidianū da nobis hodie. Da uictū, pacem, defensionē, bonam ualitudinem, ut labores uocationum perferre possimus: successum in rebus gerendis iuxta uocationem, liberorum educationem, mediocrē tranquillitatem, hospitia, politias honestas, disciplinæ, iuris, iudiciorum custodes, & non dissipatas seditionibus, luxatione disciplinæ, aut bellis.

ET dimitte nobis debita nostra. Cōfitemur & agnoscimus, nos circūferre peccata, et multiplicem infirmitatem: quæ cum nos deterreant à conspectu tuo, ac trepidantes repellant, oramus ut per mediatorem Christum, filium tuum, pontificem nobis à te constitutum, liceat reconciliari tibi, et cum fiducia accedere ad thronum gratiæ. Ad hoc ergo largire nobis clemētissime pater gratiam tuam, ut uerè & ex animo poeniteat nos uitæ hactenus contra gloriam tuam & proximum transactæ, ne perseueremus in delictis contra conscientiam.

ET ne nos inducas in tentationem. Ne sinas nos pertrahi à diabolo ad impietatem, et ad alia scelera. Defende nos contra diaboli insidias, rege nos tua luce, tuis consilijs, ne sinas nos rueredeceptos nostris erroribus, aut impulsos imbecillitate carnis. Magna & admiranda sapientia & uirtus fuit Dauidis. hanc tamē uidemus aliquoties

quoties impulsus aliàs à diabolò, aliàs humano errore, ut cum iubet numerari populũ. Cum igitur magna sit infirmitas omnium, tu nos æterne Deus. pater Domini nostri Iesu Christi, rege, & ostende nobis salutaria consilia in priuatis & publicis negotijs: & confirma corda nostra spiritu sancto tuo, ut tibi obtemperent, ut si mus non organa iræ, sed organa misericordiæ, & utilia ecclesiæ.

LIBERA nos à malo. Ab omnibus miserijs & erũnis huius uitæ, à peccatis, à tyrānide diaboli, à scandalis, à calamitatibus publicis & priuatis, ut uidelicet cum uniuersa ecclesia erepta ex presentibus miserijs, donemur luce, iustitia, & uita æterna, & fruamur dulcissima consuetudine Dei æterni, & Domini nostri Iesu Christi. Amen.

PRO VENIA PECCATORUM, Oratio.

DEUS Pater indulgentissime, atque optime, oro te, ne malitia mea alijs noceat, sed aliorũ potius bonitas mihi profit. Tu es metuendus ille Deus zelotes, qui reddis iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, ijs qui oderunt te: es uicissim exorabilis, & mansuetissimus, qui facis misericordiam in millia ijs qui diligunt te, & custodiunt

præcepta tua. Ad ingentem tuā munificentiam
istud quoque accedat, ne in me patrum carna-
lium noxiæ redundant: sed Christi filij tui, qui
Pater est noster, beneficia mihi subueniant, ne
mihi propter eos qui genuere corpus hoc, iras-
caris: sed propter Iesum, qui animum regenuit,
sentiam te placatum.

P R O F I D E.

EXcæcatus est homo à peccato: sed mise-
ratione patris tui, appositus es tu Chri-
ste dux huic cæco, magister rudi. Illud tamen a-
trocißimum in cæcitate hac & ruditate malum,
quod subinde trepidamus ac nutamus: aliàs op-
tima præceptoris monita non capimus, aliàs hæ-
remus, & ambigimus de ueritate. Miserum cæ-
cum, quomodo paratam perniciem euades, si te
subtrahis? si nec ipse nosti uiam, nec fidem ha-
bes monstranti? Christe ueritas pura, & sempi-
terna, dignare ita pectoribus nostris illabi, ut te
ac tua omnia, sicuti ueriora sunt, ita pro certio-
ribus habeamus, quàm quæ uel oculis nostris cer-
nimus, uel digitis contrectamus, fallacibus cor-
poris sensibus, quibus stolidi & bruta caro tan-
topere confidit. Seda, & compone motus istos
carnis, detrudentes nos subinde ad mutationem
eius, quod firmißimum atq; stabilißimum oportet esse

vet esse apud animos nostros. Donum est luminis
tui fides: hoc tu Christe benignissime ita cordi-
bus nostris instilla, ut uitiosi isti oculi, uel relu-
cantes, & inuiti cogantur illud aspiciere.

PRO CHARITATE DEI.

Mentes nostras ita condidisti author na-
turæ, ut pronæ ferrentur ad pulchrum,
qui affectus amor dicitur. O utinam dignareris
oculos nostros aperire, ut cerneremus te unum
esse ueram, summam, absolutam pulchritudi-
nem. Reliqua omnia, etiā quæ nos de forma ad-
miramur, & suspicimus, deformissima esse, si te-
cum conferantur. Effice pater, ut hæc, sicut re-
uera sunt, ita & sentiamus, & sint nobis persua-
sa, quo rebus alijs cunctis pro nihilo habitis, &
contemptis, in te uno mens, animus, cogitatus,
affectus noster omnis sit defixus.

PRO CHARITATE proximi.

Illumina Domine ac edoce mētes nostras, ut
unumquicq; suo precio æstimemus, nihil plu-
ris faciamus te, quando nihil potest fieri melius
te. Secundo loco sit nobis homo, quo nihil est
in rebus mundi huius præstabilius. illum secun-
dum te diligamus, siue quia simillimum nostri,
siue quia filium tuum, ideoq; fratrem nostrum:
siue

sue quia destinatum ciuem communis patriæ:
& mutua charitate meditemur iam hic cœle-
stem illam uitam, à qua procul exulat odium, o-
mnia sunt amoris, ac proinde gaudiorū referta.

PRO MISERICORDIA
proximi.

REmolli cor hoc nostrum Domine, ut ne-
cessitatibus et incommodis proximorum
non aliter moueamur, quàm si ad nos, aut ad-
res nobis coniunctissimas pertinerent, & cha-
rissimis nostris existimemus accidere. miserea-
mur in illis nostri ipsorum, & in communi ca-
lamitate communis sit erga alios quoque mise-
ratio, ut qua de causa miseramur nosmetipsos,
eadem ipsa moueamur erga illos, quos ei-
dem uideamus aduersis premi. O Christe mitissime, ac
misericordissime, affla nos quæso spiritu man-
suetudinis & bonitatis tuæ, ut quemadmodum
te misericordia nostri ad cruciatus impulit, &
mortem amarissimam, ita nos proximorum mi-
seratio ad eis pro uirili succurrendum adducat.

ADVERSVS CVPIDITA-
tem opum.

Humanæ diuitiæ quid queunt nos iuuare,
nisi tu Pater benignissime, tuas in nos ef-
fuderis? Aperis tu liberalem manum tuam, &
implet omne animal affluëtia. Quorsum paran-
tur no-

tur nobis tam multa, quibus paucissima sunt opus? Quid sumus anxij de futuris, quæ tu præstare potes solus? O institutor & conseruator uitæ nostræ, tu qui unico tuo uerbo nos finxisti, eodem unico nos sustentas: illustra mentes nostras, ut cognitis umbris te unum concupiscamus, in quo sunt thesauri omnes scientiæ & sapientiæ: tuam gratiam exoptemus, qua una cuncta perseuerant, & uita nostra propagatur.

A L I A.

O Maximam mentium nostrarum cecitatem, ut noxia tam sollicitè expetamus, sciëntia persequamur, retineamus inuita, quæ nos in exitium nostrum sumus commenti. & dum alimenta querere nos putamus, illum offendimus, qui nos alit, à quo solo pendet uita nostra, haud aliter quàm tenuissimo filo alligata. O tutor, & altor noster, da nostris cordibus ad custodiam legis tuæ curam, ad nos uerò alendos securitatem: quandoquidem curam hanc ipse & in te profiteris recipere, & remitti ad te iubes, ne nos de euentu simus solliciti, quem tibi soli reseruasti.

CONTRA SVPERBIAM.

QVID facit mihi animos? Externa incerta sunt, & ad breuem usuram accommodata. Corpus caducum, putre, fragile, foetidum:

dum: animus prauus, mens cæca. Quicquid habeo meum, malum est. si quid boni, quod est prætenue, atq; utinam aliquid, id uerò alienum est. Tantæ meæ infirmitatis cōsciū, cur me extollo? cur alijs me antepō, certè non peioribus meis scilicet quia huc me protrudit caro, peccato cōinquinata, nisi tu feras opem. O Christe in tanta potentia mansuetissime, & in tanta excellentia demisse, ac tua sponte humilis, imparti mihi animum atq; spiritum tuum, ut agnoscam infirmitatem meam malitia fermentatam, & exemplo tui moderatus sim, qui nullam habeo effèrendi mei causam, quum ipse tu Dominus cœlorū ac terræ, cui tantum sese licebat extollere, ad infirmam te hominum deiectionem submiseris.

PRO ECCLESIA SANCTA
catholica.

O Amicissime nostri Christe, ô sponse, cui est unicè chara tua ecclesia: quiq; pollicitus es, te illi nunquam defuturum, auge eam, & fac lætissimam bonæ sobole patris simillimam, nempe tui: fac nos omnes idem & de te sentire, & in te, ut simus uerè unum corpus illud, cuius tu es caput, conglutinati & compacti charitate mutua, de tuo illo perpetuo igne accensa: qui ita nos amasti, ut sanguinem & uitam tuam pro nobis impenderes. O Christe, author & suator
charita-

charitatis, pacis, beneuolentiæ, emolli durissima
nostra pectora, & planè ferrea, calfac corda
nostra glacie concreta & durata, ut mutuò be-
ne cupiamus, quo agnoscant omnes, discipulos
tuos esse nos: & iam nunc incipiamus uitam il-
lam cœlestem exprimere, in qua nulla est dissensio,
nullum odium, sed pax & amor om-
nium inter omnes.

F I N I S.

